



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Imago saeculi XVII. ad annum huius saeculi X. producta

Neuhusii Paderbornae, 1710

Annus 1612.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29436

morum Rege, assensumque præbente publicæ tranquillitatis causâ, ne scilicet Austriacus contra Austriacum, frater contra fratrem, infesta acie concurrere cogeretur.

Deteguntur maculæ & faculæ solis per Telescopium à Christophoro Scheiner Soc. Jesu Ingolstadii.

Hoc anno primùm invehī cepit in novā Franciam Lex Christiana post perrupta ob-
stacula plurima à duobus PP. Soc. Jesu.

Bambergæ Civis quidam à gravissima exagitatione hostis maligni, quem interva-
rias execrationes ad symposium invitârat, repente liberatur ope D. Virginis Wey-
rensis, ut primùm illam nuncupato voto im-
ploravit. *Forner.*

A N N U S 1612.

AD hujus anni initium 10 Januar. finem vivendi fecit ægritudine & senio gra-
vis Rudolphus Imperator post annos vitæ 69. Imperii verò 35. Princeps pacis aman-
tissimus, mansuetudine singulari, ingenio & consilio magnus, triumphis & victoriis aduersus Turcas clarus; in ejus locum 13. Junii omniū septemvirūm (excepto Bran-
denburgico) suffragiis sufficitur, & Fran-
cfurti Cæsar renuntiatur Matthias Hun-
gariæ & Bohemiæ Rex.

Hi-

Hispania & Gallia novo fœdere junguntur gemini conjugii, nempe Ludovici Regis Christianissimi cum Anna Maria Mauritia primogenita Philippi Regis Catholici & Philippi Principis Hispaniarum cum Elisabetha sorore Christianissimi. Missi utrinque legati & ludi jocique triumphales ubique peracti, nuptiæ tamen dilatæ ob immaturam partium ætatem.

In Moschovia versa alea fortunæ bellicæ. Cæduntur Poloni à Moschis. Horum Imperium armata manu sibi vendicat Michaël Fedrowizius.

Continuatur bellum Suecos inter & Danos variis utrinque cladibus.

Ordines fœderati Belgii sanciunt fœdus cum Achmete Turcarum Imperatore Constantinopoli mense Julio. Ab iisdem tentatur iterum infeliciter navigatio ad Sinas per borealem Poli arctici plagam Roeslino Duce, qui partim longa nocte, partim concreto glacie Oceano repulsus post magnam suorum cladem retrò cedere coactus est.

Franciscus II. Dux Mantuanus sine prole mascula decedit, unde graves turbæ bellicæ propter successionem.

Magus quidam in Mauritania paucis militibus

litibus ingentem Maroci Regis exercitum
bis sternit, ac regnum occupat. Sed Rex ali-
um adeptus magum primū illum ejicit,
qui nihilominus artem suam instauransite-
rum Regem pellit. Sic nimirum ludunt
Dæmones inter suos affeclas in perniciem
infelicem animarum. *Spond.*

Parisiis in Synodo Episcoporum damna-
tus est liber Edmundi Richerii Syndici fa-
cultatis Theologicæ Parisiensis, quo impu-
gnabat supremam Romani Pontificis po-
statem in Ecclesia.

A N N U S 1613.

RAtisbonæ habetur Conventus Imperia-
lis à Matthia Imperatore; Multa in hoc
conquesti de Catholicis Correspondentes,
plura minùs æqua postulârunt. Capita præ-
cipua postulationum erant, nonnullam Bul-
læ aureæ mutationem faciendam, abrogan-
dam plurimum votorum authoritatem, indu-
cendam novam juris reddendi rationem, &
quæ dictabat præterea genius imbutus hæ-
resi, addixere tamen tum Ortho-tum Hete-
rodoxi expeditionis Romanæ (ut vocant)
collectam contra Turcas qui nunciabantur
impendere Pannoniæ.

**Bathorius in Transylvania à Bethlemo
Gabore,**